

1 Ill<sup>me</sup> ac R<sup>me</sup> Domine. Gratulari mihi iure possum cum in theolo-  
giae curriculo Romae versarer, eximia tua rectoris tum collegii  
Romani benignitate, frequentique etiam adhortatione et institutio-  
ne, caeteros inter Societatis alumnos biennio toto perfruitum; quae  
5 sane recordatio tuae in me olim filium tuum, quem et in morbo sae-  
pe es consolatus, paternae humanitatis ac facilitatis, plus valuit,  
quam amplissimus ille dignitatis gradus, quo nunc inter summos So-  
cietatis ac totius Ecclesiae patronos emines. Nam cum hic me deti-  
neret, illa impulit ad scribendum, quando maxime hac ipsa causa et  
10 privatim ad Ill<sup>mae</sup> Amplitudinis tuae dignitatem, et publice ad Ec-  
clesiae tranquillitatem nostraeque Societatis existimationem per-  
tinere videbatur.

Externi Duacensis huius Academiae doctores theologi opinantur,  
non recte auxilium gratiae Dei duplex statui, sufficiens et effi-  
15 cax, cum, uti docent, nullum sit sufficiens, sed omne efficax id-  
que cum physica praemotio et applicatione situm, cui voluntas  
humana resistere non possit. Hanc suam opinionem ita crebro et o-  
bfirmate conantur in praelectionibus et disputationibus inculcare  
suis auditoribus, ut maximam nostris hominibus invidiam apud impe-  
20 ritos concilient, eosque non modo temeritatis nota respergere, sed  
erroris etiam atque internae haeresis condemnare non vereantur. Nu-  
perrime ex iis unus amarulentiae plenam digressionem in philoso-  
phiae professores collegii nostri dictavit, novitios appellans, im-  
peritos philosophos, parum in sacris literis et veteris Ecclesiae  
25 doctrina versatos, imo nec verae metaphysicae satis gnaros, qui  
tam infeliciter de divina potentia philosophantur, et si palam di-  
cere auderent quae vellent, dicturos falsa esse quae contra Pela-  
gianos et eorum reliquias definita fuerunt. Istos novitios nimium  
haereticis concedere, et eorum haeresim de libero arbitrio dum re-  
30 futare volunt, per imprudentiam non mediocriter statuere. Non esse  
mirandum si istius novellae doctrinae inventores et propagatores

/ fuerint vel sint ex religiosorum numero; nam et Pelagium haeresiar-  
 cham monachum fuisse, et quidem vitae apud homines laudabilis. Mise-  
 rabilem esse in quibusdam ingeniorum morbum, potius errare, et erro-  
 rem tueri velle, quam nihil dicere novi, quo sese mundo venditare  
 5 possint. Idem in Ill<sup>mam</sup> Amp<sup>nem</sup> Tuam valde contumeliosus nuper exti-  
 tit, dum 2, q. 12. ar. 1 suis explicaret. Quidam, inquit, huius aeta-  
 tis scriptor, qui efficaciam gratiae aliter explicare voluit, ac  
 corr<sup>is</sup> inde hinc aliquot B. Augustini sententiis conatus est os-  
 tendere se cum B. Augustino sentire, supervacaneum et frustraneum la-  
 10 borem sumpsit; idque ostendere nititur, quod nihil magnopere opus  
 sit testimoniis D. Augustini, nec ullus in eo vel mediocriter versa-  
 tus ignorare queat quid ille senserit. Alter ex eisdem doctoribus  
 primarius cum a me rogaretur in familiari congressu num Ill<sup>mae</sup> D. T.  
 sententiae de gratia et praedestinatione tuto absque cuiusquam of-  
 15 fensione in hac universitate praelegi possent? mox sermonem inie-  
 cit et disputationem de efficacia gratiae, quam ita conclusit, ut  
 fateretur malle se ignorasse modum quo libertas arbitrii cum divina  
 gratia concilietur, quam a sua opinione de physica Dei praemotione  
 discedere.

20 Accedit quod nescio quibus auctoribus hic non semel per eos  
 theologos vulgatum sit, tametsi falso, cum multorum commotione, sen-  
 tentias auctorum Societatis de auxiliis gratiae a Summo Pontifice  
 condemnatas. Quamobrem cum voluntate superiorum hoc anno primam D.  
 Thomae partem explanare aggressus essem, adversus horum doctorum  
 25 orationes ac digressiones, quas non defuturas auguror, Ill<sup>mae</sup> Amp<sup>nis</sup>  
 Tuae opem et auctoritatem mature mihi implorandam esse existimavi.  
 Quod si et veritatis patrociniū, et me in suam clientelam recipere  
 non gravetur, confido nihil eorum machinationes admodum processuras,  
 quodque hic per Ill<sup>mum</sup> Nuncium auctoritate apostolica est constitu-  
 30 tum, idem Romae opera Ill<sup>mae</sup> Ampl<sup>nis</sup> Tuae comprobandum et confirma-  
 tum iri spero, ut absque nota eam quam tibi verissimam videri mundo

9 octobre 1606.

(suite)

599 600<sup>b</sup>

/ es testatus de gratia et praedestinatione sententiam, libere hic docere ac tueri possim. Deum Opt. Max. precor, ac quoad vivam precabor, ut Ill<sup>ma</sup> Ampl<sup>nem</sup> Tuam copiosis hic gratiae suae donis cumulare, ac post aeterna felicitate remunerari velit exuberantissime.

5 Duca 9 octob. 1606.

Ill<sup>mae</sup> et R<sup>mae</sup> Ampl<sup>nis</sup> tuae

Servus in X<sup>to</sup>

Joannes Bourghesius.

---